

patent ex antea demonstratis; verum quod attinet signorum leges, illarum rationem exponemus.

Signorum multiplicatio, quæ tyronibus difficultatem asserre solet, ex ipsa quantitatum negativarum natura intelligi potest. Dum quantitas positiva $+ a$ multiplicatur per aliquem numerum positivum $+ n$, sensus est quantitatem $+ a$ toties sumi, quoties unitas continetur in n , ac proinde productum fit na Si $- a$ multiplicari debeat per n , sensus est $- a$ quantitatem negativam toties sumi, quoties unitas continetur in n , ideoque productum est $- na$. Simili modo si multiplicetur $+ a$ per $- n$, sensus est quantitatem a , toties subtrahi quoties unitas continetur in n , ideoque productum est negativum seu $- na$. Si $- a$ multiplicare oporteat per $- n$, sensus est $- a$, toties subtrahendum esse quoties unitas est in n ; sed subtractio quantitatis negativæ $- a$, æquivalet additioni $+ a$; quare productum est $+ na$. Nemo non videt productum ex quantitate positiva in positivam fieri positivum, sed alii casus hoc modo rursus illustrari possunt. Cum fit $+ a - a = 0$, si multiplicetur $+ a - a$ per n , productum debet esse 0 . Jam vero primus producti terminus est na , ergo terminus alter debet esse $- na$, qui destruat primum terminum $+ na$, ita ut productum sit $+ na - na = 0$. Quare $- a \times + n = - na$. Simili modo, si multiplicetur $+ a - a$ per $- n$, primus producti terminus est $- na$. Quare terminus alter est $+ na$; alioqui termini duo sese mutuo destruerent;